



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus  
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Art. V. De dispositione ad Indulgentiam lucrandam requisita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40650**

Indulgentias, istæ magno in pretio haberi debent a fidelibus, ut in hoc ipso maxime se opponant Hæreticis, qui Indulgentias etiam ob gravissimas causas concessas parvipendunt, ac contemnunt.

Advertit etiam Con. disp. 12. dub. 6. num. 33., quod quando conceditur aliqua Indulgentia vel omnibus fidelibus, vel magnæ alicui communitati, proportio operis cum fine intento non debeat attendi ex efficacia cuiusque operis seorsim sumpti, puta, jejunii, aut eleemosynæ factæ a Titio; sed ab eodem prout conjuncto cum aliis operibus aliorum fidelium.

IV. Quæritur secundo; an ad habendam prædictam proportionem requiratur, ut opus injunctum sit per se sufficiens pro remissione pœnarum, quæ per Indulgentiæ lucrificationem remittuntur?

Respondeo negative. Et ratio est manifesta, quia in tali casu Indulgentia non esset indulgentia; quæ ex ipsa nominis etymologia fert remissionem cum liberalitate conjunctam.

V. Quæritur ultimo; An posset aliquando Pontifex concedere Indulgentiam, nullum opus injungendo ad ejus assentionem? Verbi gratia, an possit Titio decedenti in gratia concedere Indulgentiam in articulo mortis?

Respondeo ex Suar. disp. 52. sect. 4., Con. disp. 12. dub. 6. affirmative. Et ratio est, quia fieri potest, ut etiam in tali casu habeatur justissima causa, verbi gratia, ob merita Titii erga Ecclesiam, & alia opera jam præstita, & ut alii ad eum imitandum spe talis concessionis excitentur.

Neque dicas, in tali casu non haberi proportionem operis præscripti cum fine intento, cum nullum opus præscribatur.

Nam ut concessio Indulgentiæ sit justa, & valida, non est necesse, ut

præscribatur opus, sed satis est, ut concedatur propter opus proportionatum, sive tale opus antecedit, sive consequatur ipsam concessionem; In casu autem nostro opus præcedere concessionem Indulgentiæ, quæ datur intuitu meritorum Titii erga Ecclesiam. Ratio hujus doctrinæ est, quia dispensatio censetur esse fidelis, & iusta, non solum si credita Domini remittantur ob bona opera injuncta, sed etiam ob opera bona ante præstita.

VI. Notandum denique, aliquando ex defectu proportionis prædictæ accidere, ut quamvis ex justissima causa concedatur Indulgentia plenaria omnibus, qui tale opus peregerint, non tamen illam omnes plenarie consequantur; Nam qui maximas pro peccatis pœnas debent, si tepide opus injunctum peragant, periculum est, ne ab indulgentia plenarie consequenda deficiant, ut habetur in Extrav. 1. Bonif. VIII. de panit. & remis. apud Conink num. 34., & ex S. Bonav. in 4. dist. 20. part. 2. art. 7. quæst. 6., ubi ait; Homines plus, vel minus participare de Indulgentia, prout plus, vel minus ad illius causam accedunt.

Neque dicas, satis esse, ut opera omnium sint proportionata ad finem, ut Indulgentia possit acquiri.

Nam contra est, quia satis tantum est, ut possint Indulgentiæ concedi, quando opera omnium sunt proportionata ad finem; non vero satis hoc est, ut possint singulis in particulari applicari, nisi devote peragant opera injuncta.

## ARTICULUS V.

De dispositione ad Indulgentiam lucrificandam requisita.

I. Plura requiruntur in eo, qui Indulgentiam est lucraturus.

II. Ul-

- II. *Ultimum ex operibus injunctis debet poni in statu gratia, etiamsi alia posita fuerint in statu peccati mortalis.*
- III. *Si quis pro alio indulgentiam lucratur, debet esse in statu gratia, non is, qui ponit opera injuncta, sed is, cui indulgentia applicatur.*
- IV. *Probabiliter non requiritur confessio Sacramentalis, sed sufficit contritio perfecta ad Indulgentiam lucrandam.*
- V. *Si indulgentia conferatur contritis, & confessis, sufficit contritio imperfecta, seu attritio ad illam lucrandam.*

I. **P**rimo requiritur in eo, qui lucraturus est Indulgentias, ut sit baptizatus; dispensatio enim thesauri Ecclesiastici fieri non potest, nisi in filios Ecclesiæ.

Secundo, ut sit subditus illius, qui indulgentiam concedit; Unde Indulgentiæ ab Episcopis concessæ non nisi a propriis subditis acquiri possunt: Docet tamen Laym. cap. 4. num. 2. ex Palud., concedi posse ab Episcopo, verbi gratia, Neapolitano suis subditis facultatem, ut Indulgentias ab Episcopo Nolano concessas lucrentur. Hinc si Episcopus Nolanus concedat quadragenam, vel unius anni Indulgentiam subditis suis visitantibus Ecclesiam A in festo dedicationis, vel Patroni talis Ecclesiæ, potest Episcopus Neapolitanus facultatem dare suis subditis, ut illam ipsi etiam lucrentur.

Tertio, ut non sit excommunicatus excommunicatione majori, quia hæc privat hominem participatione bonorum spiritualium communium.

II. Quarto, ut saltem quando ponitur ultimum ex operibus injunctis, homo sit in statu gratia. Ratio ex D. Th., & Theologis communiter est, quia remissio pœnæ temporalis supponit remissionem culpæ; non enim

remititur pœna inimicis, sed amicis. Dixi, saltem quando ponitur ultimum opus; nam Cajet., Sot., & alii apud Bellarm. lib. 1. cap. 12. putant necesse esse, ut omnia opera injuncta fiant in statu gratia; quia scilicet opera peccatoris, utpote mortua, sunt inutilia ad finem intentum, videlicet ad placandum Deum, ejusque beneficia impetranda; Deus quippe peccatores ad se non revertentes non audit. Verum quamvis hæc sententia sit tutior, & ideo consultum sit, ut qui Indulgentiam est lucraturus, prius vel contritione perfecta, vel confessione Sacramentali sua peccata curet eluere: Nihilominus probabilior censet Suar. disp. 53. sect. 4., Con. dub. 7. num. 39. sententiam Paludani, Antonini, & aliorum apud eundem Bellarm. putantium, satis esse, ut in statu gratia ponatur ultimum opus injunctum. Quod probant ex usu Ecclesiæ; nam in Jubileis jejunia præscripta, visitationes Ecclesiæ, &c. plerumque præmittuntur Confessioni, & tamen probabile est, ante confessionem quamplurimos non justificari.

Ad rationem in contrarium negatur, opus peccatoris, etiamsi mortuum, in casu nostro esse inutile ad finem; valet enim ad excitandam populi devotionem, ad diligentiorum præparationem ad Sacramentum confessionis, & communionis, necnon ad placandam divinam vindictam; quamvis enim Deus peccatores obstinatos non audiat; audit tamen sæpe volentes converti; cateroqui frustra clamarent, *Converte nos Deus factoris noster.*

III. Ex dictis sequitur, quod si concedatur in Bulla, ut possit aliquis pro alio indulgentiam acquirere (quod fieri posse videtur certum Con.); sicut enim potest indulgentia acquiri pro defunctis, ita & pro aliis vivis) de-

D d beat

beat esse in statu gratiæ is, cui indulgentia applicatur; non vero is, qui opus præscriptum ponit, ut alius indulgentiam assequatur.

Quinto demum requiritur, ut indulgentiam lucraturus nullum opus inunctum prætermittat; unde si inculpabiliter, sive ex ignorantia, sive ex impotentia aliquid omittat, indulgentiam non consequetur; ut communiter Doctores docent ex D. Th. apud Bellarm. lib. 1. cap. 13. Et ratio est, quia Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant. Quod si in Indulgentia concedatur, ut possit a Confessario opus inunctum commutari ex justa causa, tunc certe poterit quis lucrari indulgentiam ponendo opus a Confessario subrogatum. Hinc sequitur, quod si quis ponat mediam partem operum inunctorum, non proinde mediam partem indulgentiarum lucratur, ut ex communi Theologorum docet Con. dub. 7. num. 36.; nisi hoc ipsum in concessione exprimatur; Ratio est eadem, quia indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.

IV. Quæritur primo; An quando in Bulla conceditur indulgentia pœnitentibus vere contritis, & confessis, requiratur, præter contritionem perfectam, confessio Sacramentalis ad indulgentiam lucrandam.

Respondeo cum Suar. disp. 52. sect. 3. num. 13., probabilem esse sententiam negativam; quia confessio non videtur requiri tanquam opus inun-

ctum, sed tanquam conditio requisita ad tollendum obicem, seu ad dispositionem debitam indulgentiæ: Et quamvis indulgentia dicatur concedi contritis, & confessis, videtur ibi sermo esse de contritione imperfecta, seu de attritione, quæ simul cum confessione disponit peccatorem ad indulgentiam lucrandam. Verum tutior est sententia affirmativa Sylv., Cajet., & aliorum cum Con. num. 33., quia indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.

V. Quæritur secundo; An ad lucrandam indulgentiam satis sit attritio simul cum confessione; an vero requiratur cum confessione contritio, cum in Bulla dicatur, concedi vere contritis, & confessis.

Respondeo, satis esse contritionem imperfectam, seu attritionem simul cum Sacramento; quia illa contritio requiritur ad indulgentiam lucrandam, quæ requiritur ad valorem Sacramenti; sed ad valorem Sacramenti satis est contritio imperfecta, seu attritio; ergo etiam ad indulgentiam lucrandam. Non negaverim tamen, securiorem esse opinionem oppositam, quæ perfectam contritionem requirit: Illa tamen opinio videtur probabilissima; sicut probabilissimum videtur, confessionem requiri in iis dumtaxat, qui conscientiam habent peccati mortalis ut Con. docet num. 38.. Sic autem hic hujus annui pensæ (Sed oh ubi Æternitatis!)

F I N I S.

A. M. D. G., & B. V.

Sine labe Conceptæ.